

non cessauit ab huiusmodi studijs manus mea. Quippe quaedam opuscula in Esaiam prophetam, in librosq. quatuor Magistri Sententiarum, quatuor quoq. Disputationum libros composui, & excussi typis. Nunc verò ne ocio torperem, enarrationes quasdam edidi in Euangelium Ioannis duobus distributas tomis, secundum literalem sensum, & mysticum, quas exornaui moralibus multis sermonibus. Multo profecto labore, edidi, nescio, si pari fructu, Deus scit. Existimaui autem me in hoc opere non iniucundum Deo exhibiturum obsequium. Siquidem recolebam Christi uerbum, si quis recipit discipulum in nomine discipuli, mercedem discipuli accipiet. Is porro recipit discipulum, qui doctrinam discipuli amplectitur, quod si huiusmodi mercedem accipiet, qui non solum amplectitur, sed etiam interpretatur multis sudoribus doctrinam dilectissimi discipuli a Christo Ioannis, nonne Deo aspirante uberiorem reportabit mercedem? utique si non ab homine, certe a Deo.